

fere omnes recepit ad ordinem tam per intraneos quam extraneos magnos et parvos non est meum enarrare. Videbatur quasi strutio induratus ad filios propter desiderium quod habuit ad solitudinem cellam et domum propriam, ita quod prior Capelle dixerat : Si voluerit manere ego non prohibebo etiam si mihi tales preces et lacrimae fierent non possem negare sed nihil profecimus immo ut puto sabbato sequenti nos relinquens desolatos perrexit cum dictis Prioribus ad domum Capelle. Ibi intrans et exiens cellam ut verus et bonus cellista et simplex monachus se gessit primus et ultimus in divinis usque ad obitum venerabilis Vicarii eiusdem domus fratris *Laurentii* anno Lxxvii circa Barbare pro quo effectus est Vicarius et corrector in illo officio sicut in omnibus prius habitis strenue et sollicitus se gerens usque ad annum Lxxx altera Purificationis in qua diem clausit spero feliciter extremam. Qui circa Xxxix annos cum medio fuit in ordine et fere semper in officio multum zelosus pro ordine quo ad se et alios. Nam conquestus fuit in fine vitæ quod quia in Ianuario dicti anni semel ex admonitione Prioris sui quadam feria sexta non abstinisset in pane et aqua sicut communiter solitus fuerat licet inclementia frigoris tunc vigentis merito illud interdiceret presertim tam seni videlicet Lxxv aut circiter se propterea infirmitatem incurrisse unde et mortuus est quamquam pie credendum est non ita fuisse qui etiam per momenta temporum in illa infirmitate ita inclinabatur et curvus in corpore et capite demisso reddebatur quod pium erat videre. Tamen quam diu potuit in oratorio suo divinas horas solvere curavit servatis ordinis ceremoniis ut potuit et forte nimis se vexando. Unde feria quarta ante Purificationem Domine nostre ultimo celebravit, et post celebrationem dixit. Iam sentio et video quod amplius celebrare non potero. Attamen rogavi dixit dominum ut mihi gratiam concederet celebrandi quamdiu potero. quando autem amplius nequivero celebrare ut donet mihi gratiam communicandi omni die usque ad finem vite mee super quo etiam petiit tunc licentiam Prioris sui qui annuit precibus eius . Sicque profesto ~~nativitate~~ Purificationis venit cum adiutorio in Capitulo et ibi audita missa communicavit. Die vero Purificationis deferabatur sibi corpus domicum in cella ad quod digne se preparandum quanta suspiria, humiliationes, deiectiones, vilitates, et indispositiones se habere conquestus fuit putans se non audiri cum tamen qui audivit testatur, non est meum plene referre. Altera autem Purificationis

circa elevationem corporis Christi in summa missa infra septimam et octavam spiritum deo reddidit tam dulciter tam suaviter quod nec motus minimus inordinatus halitus membri etiam minimi videbatur. Cuius anima requiescat in pace et precor sit semper memor mei donec perducat me ad se. Dixit etiam quidam de astantibus et servitoribus eiusdem domus quod multos in eadem domo vidit obire sed numquam aliquem tam benigne et dulciter. O quam sollicitus fuit ad satisfaciendum de debitis ex ordine, profesto enim Purificationis quasi lamentando dixit. proh adhuc non solvi debitum septimane scilicet duos breves et petitiones fratrum in dominica factas et rem diligenter examinans rogavit ut iuvaretur ad solvendum ne sibi remaneret debitum solvendi. Sepius enim iteravit: *laet ons doch niet schuldich blijven*. Die autem Purificationis quesivi ab eodem, dilecte pater quomodo valetis quomodo stat vobiscum. Respondit numquam melius. Circa etiam horam ante defunctionem ipsius quesivit prior ab eodem. Vicarie quomodo valetis quomodo stat vobiscum. Respondit bene, puto quod hoc fuit ultimum verbum auditum in terra ab eo. Post missam autem conventualem dicti festi visitans eum prior dixit. Vicarie bene valeatis volo ire ad refectorium, sed quid respondit ipse infirmus curam habens salutis prioris sui, forte amplius quam proprie Ja Ja destruat vos totaliter. Est iam aura pro vobis ire ad refectorium et sedere ibi sine igne qui estis tam debilis, que verba quasi gladius acutus perforabant cor prioris. Imo(*sic*) sicut ille suasit sic fecit puto non intravit refectorium. Ipso etiam defuncto non immemor dictorum verborum, dixit. Quis iam curam habebit de me ? Quiniimo(*sic*) sicut timui ita evenit quod ipse Prior recidiveret in infirmitatem et ex amore intimo et amicabili conversatione tam extra ordinem quam in ordine L annis habito ad personam dicti Vicarii sui nimium haberet dolorem etiam quodammodo inconsolabilem. Unde post mortem dicti Vicarii dixit quare non faceret novum vicarium interrogatus. Non scirem facere alium hoc fuit intelligendum ex dolore ac amore prioris Vicarii. Unde etiam dixit. Habui ante istum vicarium unum bonum alium Vicarium, sed magna fuit differentia quantum ad pacem meam custodiendam Etc., tamen pulsans et decumbens in cella fecit Vicarium qui iam est Prior fratrem Iacobum de Bursalia Zeelandricum. Sic considerans se derelictum et multa amisisse in persona dicti Vicarii defuncti in brevi secutus

est eum scilicet nova die post completorium cui domus hec multum tenetur quia ut pater fuit huius domus et personarum eiusdem. Nam sepissime scripsit. Non debent filii thesaurizare parentibus sed parentes filiis quod utique ipse fecit huic domui ut adhuc postea patebit et in registris diversis invenitur. Die igitur Purificationis post prandium venit dictus prior ad prefatum vicarium et palpato pulsu eius dixit. Vicarie, non decipiamus nos mutuo pulsus vester indicat etiam status vester quod non diu eritis in hac vita, bonum etiam ut haberetis extremam unctionem et omnia sacramentalia vestra. Ad quod ipse. Chare pater omne quod vobis bonum videtur faciatis, summe desidero et toto corde cupio ut detis mihi omnia sacramenta mea quia tempus est. Volumus ergo ad statim prior dixit et quia incepit cum alio legere vespas et alia respondit. Chare pater faciamus ut non remaneamus in debitis, dimittatis ut prius solvamus debitum de legendis et tunc faciatis quod vultis. Et prior. Poterimus bene expectare usque ~~ad~~ post vespas. Ita respondit infirmus. Bene ergo ait prior, expectabimus usque tunc interim legatis et preparatis vos. Lectis igitur legendis usque ad Exultabunt quesivit infirmus, tenemur nunc illud solvere. Respondit legens cum eo Conventus solvet prius de nocte, sic adhuc non tenemur. Poterimus ergo dixit expectare. Finitis vespas et cena venit prior et conventus ad indulgendum eum, sed mora videbatur sibi nimia ex desiderio huius sacramenti, sed uti in ~~sacramento~~ sumptione corporis se preparaverat indignum et reum, pigrum et indevotum se existimans ita et nunc antequam venirent dixit. Dicatis rogo patri et fratribus ut cum sollemnitate et gravitate faciant officium inunctionis ne festinent. Sicut petiit ita factum est. Imo(*sic*) ipse met cum aliis dicebat versum suum in septem psalmis. Quibus perfectis cum suo hospite prior ivit cenatum, cena facta reversi sunt ambo ad infirmum. Interim legerat cum sacerdote sibi deputato ambo completoria, et dispositum est qui remanerent apud egrotum. Cum enim ei valedicerem ut irem cubitum qui nocte precedenti legeram cum eo magna voce dixit mihi. Requiem eternam, Requiem eternam, estimans autem quod insinaret se mori dixi deputatis remanere apud eum vocate patrem [nam ante recesserat] et conventum quia moritur. Respondit infirmus, non, non, sed Exultabunt, Exultabunt. Intellexi ergo quod voluit legere Exultabunt quod ante vespas distulimus. Dixitque. Iuvenis me fortiter, noluit enim ut solus tantum legerem, sed voluit legere versum suum contra me, sed ait

oportebit ut adiuvetis me multum, sic simul illud alternatim legimus et post huiusmodi quia vidi quod valde disponderet se ad mortem nolui inde recedere. Circa mediam noctem frater *Livinus* et ego legimus alternatim horas ipse quantum potuit respondendo quandoque Amen, et cum spiritu tuo vel etiam aliquos versus. Circa 3^a horam noctis voluit urinare, levabamus eum ad spondiam lecti ad urinandum. Emissa multa urina nam multa passus est vel in renibus vel in circa regionem saltem in fine dierum pene defecisset in manibus nostris antequam poteramus eundem iterum reponere. Post hec cooperacula sibi visa sunt gravia et voluit ea scindere et liberari ab eis, et cepit calescere ex *gonia* cum pridem frigesceret et horribile tempus esset ex gelu et frigore, semper enim a multis annis frigus abhorrebat et ideo patiebatur puto enim si clemens tempus fuisset supervivere potuisset, circa sextam legimus primam postmodum tertiam. His completis cum vacarem dixit. Pater vultis ut laudemus deum, dixit utique, postmodum legimus septem psalmos cum letania, postmodum aiebam. Pater quia non potestis legere ore legatis corde et attendatis. Postmodum puto legi solus in oratorio septem psalmos, et quia intellexi eum magnam devotionem habuisse in septem verbis ultimis Iesu Christi retuli ei eadem septem verba secundum quod deus dedit, et mansit quietus satis bene adhuc respirans. Inde accessi ad calefaciendum me ubi dixi aliis ad statim quando anhelitus breviabitur expirabit. Post paululum dixi Ioanni Trot. Videatis quomodo infirmus se habet. Interim venit prior visere agonizantem cui dicebam. Pater si velletis celebrare melius esset antequam moreretur vicarius, quia mortem eius sine dolore et turbatione videre non poteritis. Conferentibus nobis venit Ioannes Trot et dixit, tempus est ut candela accendatur. Accessimus et fecimus vocari aliquos ac de conventu quia missa conventualis fiebat sic fecimus ei secundum modum ordinis et circa misse elevationem videbatur ex ore eius sive exalatio, sive spiritus propter frigus forte tempores et calorem corporis ex *agonia*. Post missam omnes fratres unanimiter affuerunt et eum domino commendaverunt et postmodum privatim celebrantes sacrificium deo pro eodem obtulerunt usque in crastinum sepulturam eius deferentes.

Item tempore absolutionis dicti prioris *Henrici* a domo *Gratie*

f° 50v

antequam rediret ad domum Capelle venit hic quidam *Amandus Lapidida* natus Terbs, a domo Rubeo Vallis ubi operatus fuerat volens locare opera sua, unde gavisus idem pater dixit talem diu desideravi. Iam dominus benefaciet domui huic, consilio eius et puto etiam patris capelle conductus fuit sed postmodum ut patebit hic permansit conversus effectus.

Item circa finem Junii reparata fuit domuncula colloqui eo quod vix tempore pluvie poteramus sedere ibidem sine madefactione.

Item postmodum factum est unum servatorium carparum lapideum.

Item in Septembri rectificata fuit domuncula super vivaria in *Ossenbem* que minabatur ruinam.

Tunc etiam facta est quedam structura vilis cum tecto sub qua currus et alia negotia domus ponerentur ut essent conservata a pluvia et alia intemperie.

Eodem anno statim post electionem prioris Marcilii venit ad domum istam quidam missarius ex parte principis et dominorum eius de Finantia ad exequendum bona nostra pro habenda mortificationem omnium bonorum nostrorum citra Lx annos acquisite de quibus petebant bene Iii^C vel Iiii^C Renenses. Sed post multos labores, fatigationes et discursus quos habuit procurator sequendo Principem etiam ad longinquas partes qui pulchre addixit nobis vice huius facienda nondum facta quinta Septembris ipsi domini de Finantia Principis tunc Mechlinie residentes habuerunt seu retinuerunt de pecunia nobis debita a principe C.Lxxxviii Renenses de Xx st. et X de quibus habetur recognitio que hinc sequitur de verbo ad verbum sive litera amortizationis dictorum bonorum.

Copia dicte litere.

Le Loys Quarre commis de par monseur(*sic*) le Duc de Bourgoingne a la recepte des deniers venans des nouveaulx acquetz en Brabant, confesse avoir receu des Prieur et couvent de lordre des Chartreux a notre damme de Grace lez

f° 51

Bruxelles la somme de neuf vins huit livres dix soulz du pris de quarante Gr monnoie de Flandres la livre. A quoy Ils ont appoincte avec messieurs les tresoriers du domaine et generaulx des aydes de mondit sr pour la demande que Icelluy sr leur faisoit faire a cause de son droit de leur nouveaulx acquistz par eulx faiz au prouffit de leur couvent depuis sep — soixante ans enca De laquelle somme de Ix^{xxviii} lb X gr dicte monnoye ie suis content Tesmoing mon saing manuel cy mis le Cinquiesme Jour de Septembre. Lan M.Iiii^c Soixante quinze, sic signata Quarre.

Item eodem anno altera Magdalene vel circiter fuit hic sepulta in magno cemiterio nostro mater fratris nostri *Thome* que reliquit partem domus sue monasterio.

Item eodem anno in profesto Luce Evangeliste de mane circa octavam horam obiit dominus *Petrus Fabri* alias de Curia Capellanus Anderlectensis qui die sequenti fuit apud nos sepultus in ambitu nostro.

Item post obitum dicti domni Petri amici huius domus videtur spiritus eius requievisse super decanum suum Dominum Petrum de Thimo qui cum ivungere(*sic*) vellet dictum dominum Petrum Fabri circa pectoralia et corpus invenit cilicium quod solitus fuit portare quod ille ignorans putavit emplastrum sed post recognoscens stupefactus fuit penitentiam viri illius . Hic decanus semel audiens a Priore huius domus quod quidam fere L annorum intrasset ordinem nostrum cepit postea concipere affectum ad intrandum ordinem nostrum qui tantum fecit institit et laboravit quod omnia dereliquit et ordinem in hac domo assumpsit. Idem postquam realiter probasset pro parte in habitu seculari modum ordinis de licentia prioris Capelle principalis visitatoris provincie et prioris et conventus huius domus receptus fuit ad osculum die Gregorii Pape et postmodum feria 2a in pascalibus sc Xv Aprilis indutus et anno evoluto professus. Hic dedit pro reparatione prime celle borealis sc Ducisse internus ad inhabitandum Xx renenses in qua ipse post habitavit.

Anno Lxxvi 2^a feria in Pascalibus dictus decanus resignatus decanatu et pluribus aliis beneficiis quæ habebat indutus est hic monachus et anno sequenti professus qui multa et mirabilia passus est et miranda et patitur.

Item eodem anno circa medium Junii mater nostra domicella Margareta Mesmakers ordinavit hic ordinare construere unam cellam pro qua dedit ut puto Cxc Renenses quo ad exteriora, eodem anno fuit constructa

Item anno predicto domicella Maria vander Borch que pridem dedit Iiii^{CL} renenses pro fundatione prebende unius monachi etiam ordinavit ut monachus suus haberet cellam ad inhabitandum, facere etiam unam cellam sc quintam a parte boreali pro qua plene sc anno Lxxviii circa Lamberti C.L Coronas puto de Xxiiii st quamlibet que etiam tunc perfecta saltim in exterioribus.

Item circa pascha huius anni puto die Parasceves venit de Lovanio noviter ~~professus~~ promotus in artibus Magister *Joannes Brugis alias Florentis* de quo supra mentio facta est ut fieret hic monachus qui regulariter protractus tandem de licentia prioris Capelle principalis visitoris provincie et prioris nostri *Henrici* qui Juvenem novit et consensu totius conventus receptus fuit ad osculum pacis Xxviii Julii qui die petri d vincula sequenti fuit indutus et anno probationis expleto professus. Qui cepit ordinem subdiaconatus in Septembri in Geraldimonte, statim post professionem et in decembri diaconatum Bruxelle et anno Lxxix infra octavas Pentecostes eque Bruxelle sacerdotium qui cantavit primam missam in crastino Joannis baptiste et post paucas missas eodem anno obiit ultima Augusti post completorium.

Item in estate prolongatum fuit refectorium de media parte celle remanentis post dispositionem duarum aliarum et in alia medietate parvo tempore habitavit Joannes Florentis tempore novitiatus sui.

Item in eadem estate preparate fuerunt due alie celle boreales sc 2^a et 3^a intus ad inhabitandum licet minus plene, et ivit mansum in 2^a frater Henricus de Roo et in 3^a frater Petrus Copperes et actu adhuc habitant. Postera vero die due antique celle in quibus predicti habitabant proxime choro monachorum transposite fuerunt inter stabulum ovium et horreum coniungendo utramque ad invicem.

Item eodem anno inceptum fuit tentari de fonte acquirendo quem actu habemus ultra vivaria nostra sed parum inde factum fuit usque ad annum sequentem ut patebit.

Nota quod quadam vice ante plures annos dummodo

mentio hic fiebat de fonte *te Pippesÿpe* acquirendo transeuntibus fratribus in quodam spaciamento per locum illum videns in fine fossati ibidem aliqualem aquam licet modicam emanantem quidam e fratribus cogitabat quod ibi posset fortasse esse origo fontis. Quo talia cogitante visum est sibi audisse saltim mente. Ecce in isto loco habebitis adhuc fontem quod ille tacitus revolvens cognovit finaliter id evenisse licet graviter et non sine magna hesitatione ~~per~~ plurimorum et experientia desuper capta et expensis multis et mera gratia dei.

Item eodem anno die Mauritiï, prior Antverpie *Joannes de Monte* informatus per priorem Capelle *Arnoldum* et priorem nostrum *Henricum* dedit in eleemosinam huic domui Centum petros quos prius concesserat et parvum calicem quo utimur in celebrando tali conditione ut de dictis Petris et precio seu valore calicis una cum Centum Renenses quos predecessor eius sc Prior *Nicolaus de Haerlem* eiusdem domus Antverpie, domus hec faceret edificari unam cellam quam cito commode poterit, que dicitur cella domus Antverpie, que fuit constructa anno sequenti in qua habitat frater *Hermannus de Lochem* in cono boreali versus orientem.

Item Vii^a Octobris receptus fuit frater ~~*Arnoldus*~~ *Amandus Amelen* de *Erbs* lapicida ad osculum in statum conversorum, et altera Dionisii vestitus et anno sequenti professus qui dedit in adiutorium celle sue faciende ad murum antiquum constructe L. Petros semel que facta fuit saltim in exterioribus anno Lxxviii in qua ipse actu habitat.

Anno Lxxvij in estate fuit cella quarta borealis matris nostre *Margarete Mesmakers* completa et intus preparata in qua primum habitavit frater *Joannes Hac* qui postmodum anno Lxxx in Augusto missus fuit ad domum sancte Anne qui puto in brevi revertetur ad eandem cellam.

Item eodem anno constructe fuerunt alie due celle boreales quinta sc domicella Marie vander Borch, et sexta domus Antverpie in cuius fundamento Vii Junii dictus prior *Joannes de Monte* posuit primarum lapidem et sub eodem unum Nobile *Henrici*, que due celle eodem anno fuerunt preparate in exterioribus, et anno sequenti in ~~ex~~ interioribus.

Item eodem anno feria 3^a post Jacobi curatus le Viane Dominus Andreas Goswini qui dotavit unam prebendam unius monachi ad Xviii Renenses anno ut patet supra etiam voluit habere cellam pro monacho suo qui ad hoc tunc dedit L. renenses et post modum adhuc L. Renenses et Vii ultra quos ignoravit pro tunc sed postea, pro qua eodem anno facta est aliqua preparatio in deponendo terram in loco eius nimiam sc in primo cono orientali

versus meridiem magnam que portam conventus.

Item eodem anno dominus Michael Pistoris capellanus et receptor fecit hic fieri unum calicem et pacem argenteam. Postea anno Lxxix dedit pro anniversario suo hereditarie dotando Xxiiii Renenses aureos de cruce Sancti Andree .

Item eodem anno in decembri posita est cupa in cono fossati superiori ad silvam nostram ultra vivaria et factus est super eam puteus de lapidibus albis et tectus magnis lapidibus et supra campum nostrum sursum versus *Berchem* unus magnus puteus de rubeis lapidibus tectus magnis albis lapidibus unde veniunt canalia plumbea non directe sed quadam curvitate parva declinando in campo a primo inferiori puteo in cono fossati versus *Bruxellam* puto sex vel octo virgatis in distantia inferioris putei. Item circa medium illius distantie sunt quedam canalia cocta terrea ad quatuor vel tres virgatas versus *Bruxellam* in quorum fine est parvus puteus de lapidibus rubeis et parva cupa subtus, et tectus lapidibus ut uno canali plumbeo unius ulne vel circiter. In faciendo precipue magnum puteum in campo fere desperavimus de perfectione ex inundatione aquarum pluvialium et totaliter dimissemus nisi cementarius noster Petrus de Coeve(*sic*) nos animasset et opus in grosso totaliter pro certa summa perficiendum sumpsisset.

Item anno puto Lxxix factus est quartus puteus ascendendo ab inferiori versus *Berchem* vergendo ad occidentem sive nemus *Theodorici Mols* aut versus *Dielbeke* totaliter de rubeis lapidibus cum volta et parvo foramine super que pre ceteris videtur plus de aqua emittere fere quinque vel sex virgarum in distantia ab inferiori et illo anno probavimus in fine fossati diversimode de canalibus ex terra coctis sed nil valuerunt, postmodum de aliis factum fuit opus ut cernitur.

Nota quod quartus puteus predictus in campo stans proximius *Berchem* distat a cono nemoris et precipue a termino terre nostre ibi sc *meer* illius medii bonarii ac lapidis positi ibidem circa conum nemora cundem sc super terminum terre nostre ad Xxx pedes, et post illos Xxx pedes stando recte cum facie versus descensum terre nostre descendendo in eadem terra versus inferiorem puteum ultra *stichel* ibi positum est orificium sive introitus putei ad Xv pedes. Item de predicto *meer* ad centum pedes in termino terre versus *Bruxellam* et a centesimo pede descendendo versus monasterium nostrum ad Xc pedes est introitus secundi magni putei in campo.

Item eodem anno circa omnium sanctorum facta est porta ante Capellam nostre domine in qua etiam est inclusa domus *Hermanni* et munita Capella ne nocturno tempore amplius fures frangendo vitre aut ignem apponendo ad ostia Capelle furtum in Capella facere possent. Et ut sciatur quod tam Capella quam domus *Hermanni* sunt infra septa monasterii sibi declaratio Capituli in quadam litera de anno _____ specialiter et clare declaratur et quod de speciali gratia propter devotionem hominum ad beatam Virginem mulieres permittuntur intrare etiam de licentia capituli nostri generalis.

Item eodem anno formavimus lateres in ambitu nostro et posuimus furnum ad cremandum eos ut patet adhuc quos paravit *Joannes Vobis* vel vice eius quidam *Egidius* et usque nunc ibidem facimus.

Item eodem anno in augusto frater *Joannes de Colonia* missus fuit per priorem Capelle principalem visitatorem ad domum de Ziericzee pro subsidio fratrum ibidem, Anno sequenti circa omnium sanctorum missus fuit ad domum Hollandie, et anno Lxxix in septembri venit ad domum Capelle. Et frater *Andreas* de domo Capelle ad domum istam loco eius, sed anno Lxxx circa Gregorii ex iussu et mandato prioris Cartusie per scripta uterque fecit professionem sc frater *Joannes de Colonia* in domo Capelle et frater *Andreas* in domo ista.

Anno Lxxviii magister Walterius Henrici scolasticus sancte Gudile deputavit et ordinavit hic construere et dotare unam cellam pro quibus intendit et addixit dare Vi^c Renenses Communes et in solutionem dicte summe emit pro nobis nemus dictum *Dalvenblock* pro Xcic renenses et quitavit pensionem vitalem inde exeuntem duorum saccorum siliginis pro Xviii petris simul et semel et cum aliis diversis temporibus datis similiter Iii^c Renenses communes. Et facta fuit cella anno sequenti etiam cum cella curati de Viane quantum ad exteriora et aliis annis ad interiora nondum solvit totam summam.

Item eodem anno circa Joannis obiit secretaria ducisse Margarete nomine Leonarda que in testamento suo legavit domui huic Iiii^c Renenses ut pro eis emerentur Xx Renenses annuo perpetue pro sustentatione unius monachi seu prebende, cui adiunxit dicta Ducissa Ii^c Renenses pro edificatione unius celle ut primitus dixerat, finaliter tamen commisit nobis quid de Ii^c renenses dictis facere vellemus an unam cellam vel emere redditus. Dictam etiam donationem prior Capelle predictus bene habuisset pro domo sua sed ut verus pater dereliquit et dimisit nobis thesaurizando pro nobis. De qua tota summa recepimus

lii^c Renenses alios in brevi speramus recepturi et quanto citius poterimus empturi vel etiam cellam edificaturi sicut deus disposuerit.

Item eodem anno Domicella *Margareta de Berchem alias iaunt(?) de Coescoetele* deliberavit hic donare unam prebendam annue de Xviii Renenses pro sustentatione unius monachi instinctu et informatione magistri Nicolai Ori Capellani Beginagii Bruxellensis ubi dicta Domicella fuit magistra magna de quibus electorum liii Renenses actu dedit domui quos habuit super diversas domus Bruxelle iuxta forum bestiarum in quibus procurator noster frater *Joannes de Bruyne* fuit inheredatus circa initium Maii Anno Lxxx. Item eodem tempore in Octobri quos ipsa emit supra predictum oppidum idem fuit inheredatus et istos octo renenses ipsa levabit quamdiu vixerit postmodum nos. Item eodem Anno lxxx ante festum Joannis eadem domicella dedit nobis Centum Petros pro quinque renenses communibus emendis quemlibet denarium ad Xviii pro quibus emimus domum et meliorationem orti nostri iuxta Ecclesiam de Molenbeka cum adhuc circa Xxx Petris pro quibus habemus ultra primam locationem annuo ad Xii annos Viii Renenses de quibus ipsa levabit quoad vixerit V Renenses quos ei solvimus nomine illius orti vel conductor loci nostri. Eadem etiam multa servitia in sartiendo facit domui et alia parva donaria dedit et puro procuravit.

Item anno isto soror Vicarii nostri *Joannis Biest Katharina* promisit nobis dare Xviii Renenses pro uno iornali terre in qua ipsa vice domus fuit inheredata in *Boelare* quia dominus terre noluit procuratorem nostrum inheridare post mortem matris sue quos dedit anno Lxxxi in principio maii.

Item eodem anno circa Decembrem magnus amicus huius domus *Joannes Elzelaere* fecit nobis habere stannum et plumbum pro fonte deducendo cui ad parum desuper solvimus tenemur Lx lb.

Item eodem anno in Januario *Joannes Stroobant* fusor plumbi cepit operari circa canalia pro fonte deducendo cum adiutorio et deductus est fons ab inferiori puteo per canalia plumbea descendendo per fossatum et a fine fossati usque ad aggerem superiorem maioris vinarii directe, et sic ascendendo a fine *tpompwater* usque ad superiorem partem celle procuratoris divertendo per transitum et ostium nole quod iam fit usque ad cimiterium magnum et iuxta cellam procuratoris iterum per conductum ascendit superius ad domum lignorum in coquinam et inde ante Capellam nostre Domine de Gratia

per hortum iuxta chorum monachorum. Et pro deductione fontis fecimus cambium cum *joanne Buys de asca* de terra sua iuxta silvam nostram per quam canalia fontis deducuntur.

Anno Lxxix ultra quod inceptum fuit de cella domini curati de Viane ipsa cella perfecta fuit in exterioribus et etiam cella domini scolastici sed annis sequentibus perfecte intrinsecus.

Item eodem anno fuit facta coquina nova cum duabus cameris versus cellam procuratoris in exterioribus edificiis tantum et annis sequentibus in interioribus et appenditiis.

Item eodem anno preparata fuerunt ad inhabitandum cella domicelle Marie vander Borch in qua ivit mansum frater *Joannes Florentis Junior* monachus. Et cella domus Antverpie in qua ivit mansum frater *Hermannus Lochem* circa initium Junii.

Item eodem anno in fine estatis fuit domus *Hermanni* retro erecta fere ad altitudinem prioris partis eiusdem conveniens.

Item eodem anno in fine Augusti ultima sc die statim post completorium obiit hic dominus *Joannes Florentis de Brugis* iunior monachus.

Item eodem anno tempore visitationis huius domus sc profesto nativitatis Marie dictus sepe prior capelle dominus *Arnoldus* apportavit nobis hic recognitionem domini *Jacobi de Masteyn* militis de *octoginta* libris gr. Flandrie, Lx pro redditibus emendis, et Xx pro cella una construenda pro habitatione et sustentatione unius monachi, super quibus tunc apportavit Viii nobilia Anglie de rosa quemlibet ad Xix st. Item anno Lxxxii apportaverunt visitatores ex parte dicti domini Centum quadraginta octo renenses.

Item frater *Andreas* remissus fuit per visitatores in actu visitationis Anno Lxxxii in profesto Bartholomei.

Item circa idem tempus puto profesto Mathei venit hic ad hospitandum de domo Capelle frater *Andreas de Tornaco* professus eiusdem domus Capelle qui postmodum anno sequenti de mandato Reverendi patris Cartusie per literam sigillatam circa festum sancti Georgii fecit hic professionem. Licentia et mandatum Reverendi patris Cartusie.

Frater *Antonius* humilis Prior domus maioris Cartusie auctoritate capituli et nostra qua fungimur super annum Ordinamus per presentes et seriose iniungimus quod sub pena inobedientie impleri volumus ut domus *Andreas de Tornaco*

hospes in domo nostre Domine de Gratia prope Bruxellam ordinis nri cartusiensis ad statim ibidem profiteatur visis presentibus prima die capituli et de cetero pro _____ professo ibidem habeatur. Iniungentes priori et Conventui ut in hoc nullam difficultatem faciant. Nam istius loco dominus *Joannes de Colonia* eorum professus in domo Capelle profitebitur quod et similiter fieri volumus et iubemus Datum Cartusie Xij^a Martii Anno Domini M.cccc. lxxx sub sigillo dicte domus in testimonium premissorum.

Item eodem anno circa omnium sanctorum magister Joannes Comperes canonicus Antverpiensis frater confratris nostri domini Petri Comperes dedit in eleemosinam Xl coronas de Xxiiii St quamlibet ad emendum vel quitandum duas similes coronas annuo perpetue pro anniversario suo hic perpetue celebrando quos tunc voluit levare ad vitam suam sed Anno lxxx Lxxxi Vi Junii dedit nobis et in vita sua et petiit ut quamdiu viveret semel in anno cantaremus unam missam de Spiritu Sancto et eodem die fratres essent sui memores in memento et daretur pitantia vini.

Fere simile petiit dominus Michael de Anderlaco quo ad missam de beate Virgine. Et de donatione amborum quitati fuerunt Sex Floreni censuales quos dominus *Henricus Hugonis* habuit super domum seu hortum domini Petri Fabri pridem nobis donatam.

Anno Lxxx preparata fuerunt intus pro maiori parte celle domini curati de Viane et domini Scolastici sancte Gudile. Et factus est murus exterior futurarum cellarum a cella domini Scolastici usque ad murum orti celle domus Antverpie, et omnia penora earum sunt facta absque penore celle future proxime ad cellam domus Antverpie cuius penu(*sic*) solum habet initium ad murum exteriorem.

Item eodem anno conventio facta fuit cum heredibus domini *Henrici de Mol* canonici Anderlectensis et concordatum de antistadio sc *den obstal* ante domum domini Petri Fabri pridem de cuius distinctione patet in litera desuper facta de illo anno et puto satis distinctum fuit per novam plantationem et parva fossata die 2^a Maii.

Item eodem anno domicella *Katarina vanden Bossche* begutta Bruxellensis dedit in eleemosinam pro sustentatione unius monachi hortum unum cum tribus domibus superstantibus dictum *de clootbane* pridem, nunc hortum nostre Domine de Gratia sub censu ii lb monete usualis et unius caponis que estimavit ultra onera ad Xx Renenses quod ipsa levabit in vita sua, et magister *Nicolaus Ori* cuius estimo instinctu fecit post obitum dicte domicelle si ipse supervixerit et fecerit officium missarum et aliorum que promisit et post amborum vitam veniet ad nos. Pro

cuius orti preparatione et nove porte edificatione anno sequenti magne expense facte fuerunt per nos que spero revenient.

Item eodem anno ex testamento Nicolai Blien doctoris Lovaniensis demorantis qui obiit feria sexta infra octavas Assumptionis et eodem die obiit magister *Joannes de Groot*e pater confratris nostri *Joannis de Groot*e qui ambo fuerunt magni amici huius domus et benefactores etiam in vita. Legavit igitur dictus dominus Nicolaus pro anniversario suo et pro quibus desiderat hic annuatim perpetuo celebrandum Xx Renenses semel. ad unum renensem annum perpetue emendum quod et factum est. Item duo volumina Archidiaconi super decretum, decretales suas, summam Pisanam, et Liram super psalterium ut fratres aliquas missas facerent pro eo post obitum suum quod et fecerunt. Item octo modios siliginis mesure sancti Trudonis perpetue intuitu fratris *Marcilii* qui sibi in seculo servivit in scholis regendis in Flandria fere Xi annis. Item petiit ut Prior modernus et futurus pro tempore haberet curam filii sui naturalis *Nicholai* in levando redditus suos et disponendo eum ad scholas usque ad Xxv etatis sue annum ad finem ut posset fieri religiosus quod et patres Cartusie et visitatores nostri consenserunt ex singulari fiducia ad nos et quia precipue pro omnibus aliis nobis de bonis suis previdit sicut etiam fecit patri et domui fratrum tertie regule sancti Francisci in *Hugardis* quem similiter in idipsum oneravit, quo ad filium dirigendum ut prefertur una cum priore huius domus quod et fecerunt et per gratiam dei adhuc facient.

Item eodem anno X^a Octobris prior Antverpie Joannes, in informatione prioris Capelle sepe dicti dedit ad opus nove Ecclesie perficiende X Lb Gr V sc Vi Den. languens in infirmitate de qua occubuit profesto Andree qui amicus huius domus fuit ab initio Prioratus sui usque ad obitum. Nam ipse sepe transiens per domum nostram ad domum prioris Capelle principalis visitoris nam multa passus est a conventualibus suis et magnas et longas sustinuit infirmitates et onera habuit de rebus domus Cartusie disponendis dedit hic multas et largas pitantias et quodammodo refocillabatur hic super tedio suo et libenter nobiscum erat et eum tamquam patrem honoravimus et merito. Quia ipse suasu prioris Capelle *Arnoldi* principalis visitoris dedit Anno Lxxvi in nundinis Septembris in eleemosinam Centum Petros prius huic domui concessos et unum parvum calicem hic pridem concessum una

cum centum Renenses quos dedit prior *Nicolaus de Haerlem* sue domus annis prioribus que omnia voluit et ordinavit ut expenderentur ad novam cellam hic construendam in cono boreali ambitus versus orientem quod et factum est. Item anno sequenti dedit ad parandam cellam interius unum quarterum *wagenschot*. Item unum nobile *Henrici* quando posuit primum lapidem dicte celle. Item fere omni anno dedit unum vas allecium. Item sepius solvit in itinere et alibi pro priore huius domus multa etiam alia dona dedit huic domui pro quibus omnibus dominus concedat ei requiem sempiternam.

Item eodem anno in nundinis Septembris prior Capelle predictus procuravit ad novam ecclesiam perficiendam a patribus ordinis circa Sex Libras Gr et plura fuerunt adducta pro adiutorio ad dictam Ecclesiam perficiendam. Etiam post obitum dicti prioris Antverpie *Joannis*. Post electionem prioris ibidem *Henrici* adhuc procuravit pro nobis die Lucie fere Iii Lb Gr unde rediit infirmus, sed zelum dei habens sollicitavit tam Lovanii quam etiam hic Bruxelle apud Episcopum Cameracensem pro mantenentia reformationis incepte domus *monialium de Ghelengien* cuius ipse fuit primordialis et principalis promotor. Unde etiam bis vel ter circa cimiterium sancte Gudile quodammodo sincopitavit(*sic*) ex debilitate sicque reversus ad domum suam mansit debilis usque ad medium Januarii et tunc aliquantulum cepit convalescere. Et quia tunc intensum gelu et hijems(*sic*) valida nociva senibus ex hiis causis et fortasse aliis incurrit pater noster *Henricus* prefatus tunc vicarius eius infirmitatem, et multum incurvabatur unde 3^a Februarii diem clausit extremum. Quem dilexit tenerrime et merito quia fere L annis singularem conversationem habuerunt ad invicem tam in seculo quam etiam in ordine. Ipse enim pater *Henricus* fuit magister et pedagogista prioris *Arnoldi* Lovanii in pedagogio Porci, et ipsum pro omnibus scholaribus in singularem et quodammodo familiarem gratiam adoptavit et pro famulo seu socio secum etiam ad loca secreta duxit. Postmodum pater *Henricus* monachus factus in domo Capelle eundem patrem *Arnoldum Carreman* tunc scholas in Geraldimonte regentem induxit ad ordinem suscipiendum et idem *Henricus* prior Capelle postmodum effectus dictum *Arnoldum* recepit ad ordinem et quando per eum incepta est ista domus secum ipsum hic adduxit et primus vicarius huius domus factus fuit etiam ad tempus antequam hic esset rector ordinatus.

Cum ergo ad instantiam oppidi Bruxellensis dictus prior *Henricus* absolutus fuit a prioratu domus Capelle et in rectorem huius domus creatus, dictus primus vicarius noster *Arnoldus* electus fuit in priorem domus Capelle et ex tunc maiorem conversationem invicem habuerunt pro zelo animarum eisdem commissarum bene regendarum. Postmodum prior *Henricus* ob onera huius nove plantationis impetravit absolutionem ab officio convisitatoris loco cuius prior *Joannes Versare* subrogatus fuit et in brevi postmodum obiens principalis con-visitator huius provincie prior Gandavi dominus *Jacobus Rubs*, dictus prior Capella *Arnoldus* effectus fuit convisitator domini *Joannis Versare* tunc etiam prioris Gandavi qui simul diu provinciam laudabiliter et strenue rexerunt. Postmodum dicto domino *Versare* decedente ipse prior *Arnoldus* Capelle factus est principalis visitator, prior vero Monachusen dominus *Gerardus Haerlem* eius convisitator fiebat, nunc principalis. Et quia multum ab invicem distabant sic pater noster *Henricus* tam hic manens quam etiam post reditum suum ad domum Capelle fuit sibi multum necessarius et tamquam alia manus in conciliis et auxiliis pro negotiis provincie decidendis et non solum in spiritualibus sed etiam corporalibus. Quod ex hoc solo luculentissime patet.

Nam die Purificationis anno predicto cum intensissimum frigus esset et prior *Arnoldus* visitaret post missam conventualem vicarium suum dictum fratrem suum *Henricum* et dixisset volo ire ad refectorium, dixit dictus *Henricus* morti proximus scilicet die sequenti moriturus sic sic (*sic*) destruatis vos totaliter, est nunc tempus pro vobis eundi ad refectorium. Quod verbum quodammodo perfodit cor dicti prioris ita quod postmodum dixit dicto *Henrico* mortuo. Quis iam habebit curam de me et mea sanitate? Et quia cognomen prefati domini *Henrici* erat de Loo Ideo ex amore eo mortuo lamentabiliter conquestus est. Loo, Loo, Loo, ubi me dimittitis nunc? Sed certe non diu dimisit eum hic quia nona die sequenti secutus est eum quod et ego timui ne forte dolor et tristitia inde concepta eundem faceret recidivare. Quantum enim eum dilexit hoc ostenderunt gemitus et lacrimae quos abundantissime in eius sepultura habuit quia amor persone eum coegit ut in propria persona ipsum sepeliret et exequias celebraret, cum tamen quidam de fratribus eidem persuaserunt ut ego pro eodem fecissem exequia quod omnino renuit. Dicto vicario *Henrico* mortuo scripsi priori Silve ut veniret ad consolandum priorem sub dolore

f° 56^v.

suo qui et venit et fuimus apud eum tribus diebus ea de causa, sed die sequenti post recessum nostrum cum libenter vidissemus novum Vicarium suum dicente illo non video quomodo potero facere novum Vicarium invasit eum infirmitas subita et recidivatio unde et mortuus est Xii^a Februarii et quia aliquantulum infirmabar nec bene ausus fui illuc tendere audiens tamen mortem eius imminetam feci me illuc vehi et priusquam venissem prior Silve etiam demandatus me prevenerat et nocte precedenti omnia sacramenta sua et extremam unctionem ei dederat vix eum inveni eum bonam memoriam habentem sic pauca locutus sum ei. Sed dixi servitoribus dummodo inciperit quiescere a verbis multum enim loquebatur hincinde et omnino volebat surgere dixi quod bene custodirent eum quando inciperet tacere et quiescere quod et fecerunt. Sicque circa tempus matutinarum in presentia duorum priorum et vicarii sui in egritudine sua facti, modo prioris viam universe carnis ingressus est secutus amicum suum dominum *Henricum*. Unde non modica illi domui et huic tristitia meror et quodammodo desolatio facta gemitus et lacrimae eo quod tam spectabiles duos patres omnium nostrum consolatores, edicatores, protectores et adiutores amiserint, speramus tamen quod meritis nos apud deum plus nunc adiuvantur quam in vita potuerunt quibus ipse dignetur concedere vitam suam perhennem. Amen.

Nos vero permaxime esse memores eius in orationibus nostris et grati tenemur de innumerabilibus beneficiis huic domui impensis et procuratis de quibus pauca referre potero ad instigationem maioris amoris et incentivi ad precandum pro eidem. Tempore prioratus sui multa largitus est huic domui de bonis domus sue in pecunia et pitantiis vino, in avena, feno, pisis, piscibus, per quinquaginta simul pluribus annis lignis, pomis, piris, cerasis, bladis, et diversis fructibus, seminibus raparum sinapis et aliis panno et vestibus et huiusmodi, sepe magnam summam mutuavit nobis, imo sepe arguit nos quod non fecimus in tempore provisionem de necessariis domus et dixit non oportet excusare propter defectum pecunie bene mutuabitur vobis etc. Multa et magna dona et munera procuravit pro nobis a diversis. Primo a Curato de Viane domino Andrea Goswini cellam cum dotatione ad Xviii renenses annue vel circiter. Secundo cellam Ducisse Margarete cum dotatione eius per Leonardam cubiculariam eiusdem ad Xx renenses. Tertio cellam domini Jacobi Mastajjn cum dotatione eius ad Xx Renenses vel circa unde habemus recognitionem eiusdem domini sed videtur resillire tamen idem prior fecit quod suum erat. Quarto cellam domus Antverpie pro cuius constructione habuimus bene Ii^c renenses. Item si supervixisset ad triennium spero quod Ecclesia

nostra constructa fuisset ad quam procuravit bene circa Lxx Renenses. Item diversa alia dedit et procuravit que multa sunt valde, imo sepius scripsit quod filii non tenentur thesaurizare parentibus sed e contra. Quasi vellet dicere. Ego thesaurizo pro vobis quoniam sepius ipse met miratus est de eo quod tantam curam et sollicitudinem habuit pro domo ista et fratribus eius. Merito ergo grati esse debemus et diligenter et fideliter orando pro ipso cui deus det vitam eternam. Amen.

Nota quod isto tempore fuit maximum gelu et hiems ita quod vinee et arbores multe fuerunt mortificate.

Anno Lxxxi post pascha facta est porta nova in horto nostro Bruxelles quondam dicto *de clootbane*, et etiam porta nova ante domum nostram penes sanctam Mariam Magdalenam cum aliis reparationibus.

Item eodem tempore facta est latrina ad novum hospitium cuius foramen inferius ad purgandum eam positum est iuxta angulum versus horreum directe sub signo in muro posito crucis in parvo albo lapide. Etiam introitus ad ostium nole galilee monasterii. Et priparate fuerunt camere et coquina interius etiam pro illa parte domus illius. Nota ad purgandum latrinam que stat in domo lignorum iuxta braxatorium non potuimus invenire foramen pro purgatione dimissum forte propter braxatorium postmodum factum ad illud foramen, et Ideo fecimus pridem unum foramen superius in dicto domo lignorum ubi intratur ad latrinam et inde feces fuerunt emisse et sepulte in dicto domo lignorum.

Item isto anno Octava Junii fuerunt nobis assignata per capitulum sancte Gudile quatuor iornalia terre arabilis nobis deficientia et assignanda que sunt sita in quinque iornalibus que habuimus de Joanne Buys per commutationem.

Hec sunt terre nobis assignate per capitulum sancte Gudile quas habemus
libcras a decimis.

Primo sex iornalia Xc virgatas iuxta *tVeldeken inden gulden bodem* ad viam publicam.

Item in eodem campo versus Bruxellam Tria iornalia iuxta semitam qua tenditur versus *ossenbem*.

Item adhuc Tria iornalia et Xxxvij virgatas ibidem cum uno fine versus horreum decimarum.

Item adhuc descendendo Ix iornalia et Xxx virgatas ad locum dictum *ten stejnen stichelken*.